



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Oleum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

A D D I T I O.

Oleum.

Oleum non sacrum additum sacro fit sacrum, modo
quantitas non sit minor, vel certè non sit notabiliter major.
Vide Sylv. verbo *Aqua benedicta* quest. 3. Oleum paulatim
& in minori quantitate miscendum esse, ait Coron. 4.
extr. unctionis 7. non fieri benedictum ait, additum oleum
nisi ad invicem fiat identificatio, id est, nisi omnes minimae
partes se contingant. Vid. text. & gl. cap. *quod in dubio*,
consecr. Eccles. vel altar.

Oleo chrisimatis potest ager de licentia Episcopi usque.
Vide Innocent. l. ep. 1.

Opinio:

Vide v. *Dubium.*

Opinio est assensus cum formidine de opposito.

Quæres: An confessario inter duas opiniones probabiliter
liceat sequi minus probabilem. Cajet. & Sylv. in v. *opinio*
& Sot. l. 3. de *jure et just. quest. 6. art. 3.* docent, eam tantum
sequendam, quæ judicio DD. probabilior est, alioquin non
fore tutum in conscientia. Ratio Cajet. est, quia qui sequitur
opinionem minus probabilem, cum sequatur regulam
dubiam & incertam, exponit se periculo errandi. Nota primo,
non agitur hic de opinionibus speculativis, sed de practi-
cis tantum & moralibus: & quatenus non in scholis exercitii
causa tractantur, sed quatenus extra illas executioni man-
dantur. Nota secundo, aliud est, esse probabilio-
rem, & aliud, esse tutiorem. Resp. ergo cum Nav. cap. 77. n.
180 & 288. Sum. in v. *opinio*, & aliis, Confessarium posse eli-
gere minus probabilem sententiam, relicta probabiliori,
modo judicet eam esse veram; nam si falsam judicaret, ager-
et contra conscientiam. Prob. primo. Quia confessarius, ut
ipse Soto fatetur relicta sua opinione probabiliori, potest
& aliquando tenetur sequi opinionem pœnitentis probabi-
lem; ergo & potest eam sequi opinionem probabilem, quam
ipse probabilem putat & veram; secundo, si probabilior
semper